




GROLLÆ OBSIDIO CVM ANNEXIS

Anni CIↃ IↃC XXVII.

HVG. GROTIO Auctore.



AMSTELREDAMI
Apud GVILIELMVM BLAEVW.
M. DC. XXIX.

GROLLÆ OBSIDIO CVM ANNEXIS

Anni cIↃ IↃC XXVII.



BAT in æstatem annus qui Christianis post mille sexcentos vicesimus septimus, nihil adhuc in Batavos movente Hispano, dum satis habet attritum sumtuoso Bredæ obsidio ærarium otio refovere, & copiarum aliquid ostentare ad Germaniæ fines, augendo terrori in eos qui Austriacæ domui adversabantur, quo Tiliaci ac Wallestenii arma in Daniæ regem facilius procederent. Majora audere & hoc vetabatur, quod ab Americana Batavorum societate missus Eremita terrorem utroque Oceano circumferens Hispanicos ex eo orbe proventus, maxima bellorum alimenta, non corruperat quidem, sed detentaverat. His qui federatas Belgicogermaniæ nationes curabant non idem animus, sua quoque respectante, qui mos libertatis siquando nimia est, cujus vitia non alius magis quam hunc antecedens annus ostenderat: dum recenti Friderici Henrici Arausionensium Principis, qui in præfecturam fratri Mauritio successerat, auctoritate Transrhenani populi in sua, Zelandi in Hulstum trahunt: quo certamine distractis ut studiis ita viribus occasio in utrumque effluxerat. Nunc Hollandi & Zelandi maritimæ nationes quicquid erat præsentis pecuniæ aut quod fide contrahi poterat vertendum censebant in maris tutelam, novæ opis sane egentem, ex quo vectigal quo ista onera præcipue sustentabantur defecerat, abruptis nuper ab Hispano mutuis mercium ex hostico in hosticum travectionibus, quæ priore bello hinc ob publicos usus, inde ob privatorum necessitates tolerabantur. Inevitabili malo aliud ex culpa accedens, dum res maris ad Mosam maxime quorundam scelere, cæterorum neglectu, certe non ex fide tractatur, & nautarum stipendia male procedunt, partim transfugiis, partim justæ

mercedis desperatione quod erat roboris navibus abduxerat: quo Dunquercani & qui his proxima tenent, qua sola & exigua parte Hispanorum Belgica Oceano admovetur, eo venerant audaciæ, ut terrendo naves bellicas, cæteras mergendo aut rapiendo agerent quasi ex parte possessores maris quod hactenus non nisi per furta attentaverant, Marchione Ambrosio Spinola in hanc curam non minus quam in terrestre bellum incumbente, quippe gnaro illa parte virium cætera hostium stare; quapropter supra publica stipendia etiam privatos ad armandas naves spe prædæ & per Hispaniam commercii illexerat. At Transrhenani quæ proximo anno post nudatam mœnibus Oldensaliam agitata, Vesaliam, Lingam, Grollam repetere, & quo major educeretur exercitus, ad supplenda præsidia pro tempore octo militum millia ære prærogato offerre. Ipse Princeps Henricus mari non minus quam militiæ præpositus, indivulso etiam antiquitus apud Hollandos ob regionis ingenium utroque imperio, accedebat maris curam commendantibus: simul nota ducum prudentia, ne auctores habeantur eorum quæ contra cadere possunt, haud omittebat monstrare pericula: Vesaliæ obsidium multo egere milite nec qui terra aditus tantum sed & qui Rheni transitum custodirent: Lingam longe à finibus & abductis reipublicæ viribus promtum hosti in alia & pretio majore incumbere: Grollam milite, munimentis, machinis firmam & quod præcipuum ab amnibus abesse quinque horarum itinere: unde liberum Hispano turbare commeatus aut incedere prælio, quod & subire anceps & detrectare indecorum, in posterum quoque fiduciam hostibus additurum. Prævaluit tamen de Grolla consilium his quæ tum prævideri poterant sane dubium, eventu magnificum, exsequente Principe tanta alacritate ac diligentia quasi non alius suasisset. Igitur octo quæ diximus millia subitarii militis servando limiti attributa, quod Hispanicarum copiarum Cæsarowartam usque Montensi ditione processerat, attinuere ne interiora Germaniæ peterent. Exercitus ipse, equites terra, pedites amnibus, quo minor impensa esset, convenire jussi in locum ubi Rhenus in sui nominis alveum & Vahalim scissus insulam facit quam Batavorum etiam veteres appellavere, sed nomen olim mari tenus continuum nunc in superna parte quæ Geldrici juris est residet. At per flumina iter ut pecuniæ parcens ita ventorum incertis subjectum

spem

septuagintaquinque : currus mille admodum qui hæc ipsa

 tor-

flumina iter ut pecuniæ parcens ita ventorum incertis subjec

ſpem tunc etiam feſellit, ut decem prope diebus quam deſtinatum ſerius copiæ quo condictum pervenirent, quo temporis ſpatio (neque enim deſunt talium nuntii) facile hoſtis juſtum & ipſe exercitum educere potuit, haud dubie Batavis agitata corrupturus; ſed quod frequens illis partibus haud ſatis proviſum ut pecunia, quæque alia movendo agmini opus in parato eſſent: neque crediderant id hoſtibus animi ac virium, ut amnibus abſitum atque iſtis munimentis locum impeterent. Iuvit nonnihil & fraus Naſſavii Principis qui in Iuliacenſem ripam (Gallica olim dicebatur cum Germaniam Rhenus clauderet) manum miſerat adæquandis viis qua parte Gocha oppidum eſt, quaſi imminens operi quod ſub finem anteacti autumni cæptum neque dum perfectum Bercam & Venloam inter Hiſpani viginti & quatuor ſtationibus inſidebant. Foſſa ea erat Rheno Moſam jungens, ſpe ad Scaldim uſque ducendi ut ferrum, æs, lignum & quæ alia Germanicum fert ſolum Batavorum commodis intercepta in Brabantiam navigarent. Eadem limes interjiciebatur ne Batavorum eques, ut antehac ſæpe, Belgarum extrema quateret, quin & Germaniæ agros cis Rhenum ſitos in pabulum prædamque verteret. Admonuerat & Mansfeldii tranſitus qui Bergarum ad Zomam obſidium intercißis jam commeatibus grave, nondum tamen ut deſperaretur, abrumpere coegerat, ac non ita dudum paria conſilia apud Gallos & Britannos ſermonibus jactata, præcludendum externis ad hoſtem auxiliis ſaltem terreſtre iter. Nam quod rumores addiderant poſſe ex Rheno, qua adhuc unus eſt aquas in Moſam deduci, ac ſic flumina in quæ ille ſe dividit, præcipua Batavorum munimenta, vadis pervia fieri, ſitus locorum mire inæqualis adeo refellit, ut ad implendam foſſam aqua ex Nirſa paulum abſito amne & quicquid circum humeſcit colligi tribuſque ſeptis retineri adverſus ſiccitatem debuerit. In hanc curam dum hoſtis dimovetur, peditatum Princeps navibus exemtum tribus diſpertit agminibus. Centuriæ erant centum & octo ſupra ſexaginta. Equitatus turmis quinquaginta & quinque bipartito juſſus incedere, ductu Thomæ Staquenbrouquii, qui per juſtos gradus ac merita ad ſecundum equeſtris militiæ gradum aſcenderat, primum magiſtri equitum ſibi adhuc ſervante Principe quo ſub fratre functus quondam fuerat. Aderant tormenta variæ magnitudinis ſeptuagintaquinque: currus mille admodum qui hæc ipſa

tormenta, nitratumque pulverem & globos, transeundis amnibus navigia, pontes scirpeos, alimenta ferrent & quæcunque faciendis, oppugnandis aut tuendis operibus supra vetera nostra ætas invênit. Principem dilecti è Federatorum conventu, consilium atque auctoritas, comitabantur. Postquam Emmerico progressi campis stetere, promulgata edicta sanciendæ disciplinæ, quæque utilia sanitati, & ne milites inter se ex rixis in pugnam ferrentur, qui mos ex Gallicæ nobilitatis calore ortus cæteras nationes contactu incesserat. Provide imperatis addicte paretur, diligentia Smelsingii qui jurisdictioni militari præsidebat. Tertio die (is erat Iulii vicesimus) in conspectu fuit Grolla cum jam noctu prævectus eques ductu Hermanni Ottonis Comitis Stirumbii itinera ad oppidum ferentia occupasset. Zutfaniensis regio, pars olim Frisiorum cum id nomen latius pateret, nomen habet ab incultis terris & humum non nisi ad ignium pabula præbentibus quas Vennas vocant, & australi à cæteris Frisiis positu. Ea suos quondam Comites habuit, & nunc quoque nomen servat Comitatus, ex quo per matrimonium Sophiæ Wichmanni Comitis filiæ (ea Ottoni Nassavio nupserat) in Geldrorum Principum qui tum Tutores, mox Comites, Ducesque dicti sunt, jus traducta simul in ipsius Geldriæ corpus coaluit. Ad ortum supra se habet Cliviam & Monasteriensem Germaniæ partem: infra & ad Septentrionem ea loca quæ possessa olim Trajectinis ad Rhenum Episcopis Transisalana ab ipsis dicebantur, manente in hunc diem vocabulo, orto inde quod hanc regionem ab his quæ Trajecto urbi propiora ejusdem ditionis erant, in quibus quondam & Velavia fuit pòst Geldris concessa, Isala amnis disterminaret, idem qui & Zutfaniæ agrum ab occasu claudit, olim in lacus se immergens qui late diductis à se terris sinum maris ingentem fecere quem Frisii primùm, deinde & alii australem vocant. Totus hic tractus post pacem Gandavensem secutus arma quæ pro libertate tota prope tunc Belgicogermania ceperat, donec Georgius Lalænius Rennebergius seque & quæ trans Rhenum plurima præfecti titulo tenebat in regis obsequium traduxit. Quæ pars Germaniam spectat Vredensibus campis late se pandit in quibus est Grolla. Vetus oppido nomen Groenlo quod viride nemus significat: sed ut speciem loci mutavit longa ætas ita prolationem nominis, quod Germanicis vocibus frequens, contraxit.

Æstate

ZVTPHANIA COMITATVS.

Excudit Guiljelmus Blaeuw.

CLIVIÆ

WEST PHA LIÆ

ELDR IÆ

PARS.

PARS.

Nieumegen

Boecholt

Huessen

Arnhem

Breefoort

Aelten

Grolle

Vreeden

Eybergen

Ottenstein

Recken

Nede

Looen

Ter Leth

In't Lincken

Isala Vetus

Aa fl.

Krechting

Greisten boerll

Slinck fl.

Wallien

Berkel flu.

Doesfaert fluvius

Milliare Germanicum.

Æstate anni nonagesimi quinti Princeps Mauritius cum decem millium exercitu hoc oppidum impetere aggressus est, sed superventu Mondragonii, quanquam sexies mille tantum illi pedites, aliquot supra mille equites erant, absistere cœpto quam prælii fortunam experiri, maluit. Sed anno pòst altero, dum Parmensem & regiarum partium vires Gallia detinet, facile Mauritius & hoc oppidum & multa trans Rhenum in Federatorum potestatem redegit. Anno hujus sæculi sexto, quo tempore maximæ fuerunt Hispanorum copiæ & in spes collectæ maximas, Marchio Spinola, cum transire amnes partim per Buquoium, partim ipse variis in locis nequicquam tentasset, huc tandem incubuit, & ut mos ipsi pluris tempus quam militem æstimare, quasi in hoc facile damnum, in illo irreparabilis jactura, festinatis accessibus, cunctis ad terrorem compositis quasi impetu capturus oppidum, verbis insuper minax, extorsit deditionem intra diem quem ferendo obsessis auxilio Mauritius præfiniverat. Sed cum ingentes illi Hispanicarum partium conatus inopiam pecuniæ atque inde seditionem militum gravem peperissent, arrepta occasione Mauritius Grollam quanquam præcipite jam autumno obsidio repetit: & perfecisset, ni subitus adventasset Spinola, multo minore quidem cum exercitu & quantus rebus tum turbidis pretio, prece colligi potuerat, sed prælio paratus cujus incerta pertinaciter vitare fixum Mauritio norat, eoque cuncta audentius periclitabatur. Secutæ induciæ ut cætera belli præmia ita Grollam penes ultimos possessores reliquerant, ex qua nunc Princeps Henricus novo imperio decus quærebat. Situm est plano id oppidum & quia Germaniæ fines attingit muniri cœptum jam olim Principatu Caroli Austriaci inter Imperatores id nomen quinti, qui Trajectinorum Pontificum imperium omne itemque Geldriam emta in se ac posteros suos transtulit. Sed hæc opera ut ipsam muniendi artem auxerat perfeceratque magister talium belli diuturni usus: & per inducias hunc locum juxta Silvamducis & in Flandria Dammam Hulstumque firmare Hispanus curæ suæ duxerat. Excurrunt mœnia lata ac sublimia quinque propugnaculis cunei in formam, ut nunc mos habet, prominentibus, inter quæ totidem intervalla ad rectam normam per angulos propugnaculis junguntur, ut undique ex omni parte oppugnantium latera ad tormentorum jactus pateant. Pedi mœnium agger alius humilior præten-

1595. Mauritius Gro[llam] aggressus et ... absistit.
1596. Mauritius Gro[llam] expugnat.
1606. Spinola recuperavit.
Grolla munitur a Carolo quinto.


prætenditur, succinctum ideo vocant, quo ubicumque visum perforato promtum subeuntes propius rectaque impetere tectis defensorum corporibus. Sequitur fossa quam Slinga amnis oppidum prælabens parte sui inundat. Hanc ultra via est ad jaculatorum militum latebras tuta & ipsa aggere, sed extrorsum leniter devexo, atque ita temperata altitudine ut & ex mœnibus excussi globi transeant & quæ ex hostibus contra è plano intenduntur intactis mœnibus supervolent. Portæ tres oppido Brefurtum, Zutfaniam, Daventriam ferunt. Summum oppidi præsidiique regimen penes Matthæum Dulquium bellandi veterem & expertæ virtutis atque ingenii. Quippe is erat qui anno euntis sæculi secundo arcem Wachtendoncæ astu manuque invaserat, cum tredecim militibus à se in id lectis in navi palea obtectus & ubi penetraverat obvios omnes trucidans donec arcis potiretur. Attributæ huic octo peditum centuriæ, turma una ductore Lamberto Verreiquio, cui toparchia Imda, pater Ludovicus Verreiquius consiliis Archiducum componendisque actis assiduus Audientiarii titulo, cujus labori atque industria Belgica non parum debet hoc nomine quod duodecim annos bellorum malis liberos habuit, optando utrisque partibus rerum statu. Summa præsidii mille ducenti præter qui ex oppidanis manente obsidio asscripti sunt: tormenta sexdecim, vis magna in noxam oppugnantium. Cibi ac frumenti quantum satis. Quod primum hostile vix tale quid expectantibus apparuit turmæ fuerunt Batavorum duæ, in quas statim Verreiquius cum suo equite erupit cœpitque pugnam, sed hostibus adventante subsidio retro cessit amisso adjutore Iohanne Waertio manu egregio. Terna Principi castra ponere visum: quorum quæ ad ortum assignata Comiti Ernesto Nassavio præfecto Frisiorum cis & uls Lavicam, quarum gentium proprio militi Germani tunc ac Scoti sociabantur. Medio inter austrum occasumque positu sedit Princeps ipse cum potissima copiarum parte, editiore illic solo. Tertia castra minora cæteris jussus curare Wilhelmus Nassavius Leccæ toparcha, idem classibus Hollandicis præpositus sub patruo Principe, quippe Mauritio ex femina nobili, sed extra conjugium genitus. Princeps certus urgere propositum, nequid avocamenti ingrueret, tribunum Pinsium Aam cujus peritiæ multum fidebat, cum triginta septem centuriis præsidere jubet supernis partibus inter Rhenum Mosamque:


Dulquius Grollæ præfuit.

Præsidium Grollæ. 1200
Tormenta 16.

Molar

Mosamque: at ubi Vorenam insulam Mosa ambit, & quæ inferius sita cum copiis haud æque magnis tueri missus Varix itidem tribunus, cum mandato jungerent vires si forte hostis Emmerici, Resæ, Graviæ, Ravesteni aut Gennepæ aut alterius cujus oppidi obsidium moliretur. Provisum quoque ne qua limiti præsidia deessent, & ut è reipublicæ primoribus alii Zutfaniæ, alii Daventriæ curarent ut quæ exercitui necessaria subveherentur. Postridie quam ad oppidum ventum erat cœpta muniri castra ne præfectis quidem ac tribunis laborem defugientibus quo alacrior miles imitaretur. Itaque intra eum ipsum diem eo perducta sunt opera ut defendi quirent, & post magis magisque aucta in eam formam qua nulla unquam exactior fuit, ne sub Mauritio quidem qui cuncta lecta usquam aut visa in usum retulerat. Castella fieri cœpta conductis jam operis, ad arcendos hostis aditus, unum retro Prin-



Scala Castelli.


Radius mensorius.






Diagramma orthographicum Castelli.





Radius mensorius.

Castellum Frisiorum.

Scala Castelli. 5 10 15 Radius mensorius.

Diagramma orthographicum.

18 12 3 3 2 1 6 8 4

Scala mensoria diag. orthog. 10 20 30 40 Radius mensorius.

Castellum Hollandorum.


Scala Castelli. 5 10 15 20 Radius mensorius.

Diagramma orthographicum Castelli.

6 7 24 3 3 6 3 3 6 6 18 18

Scala mensoria diagrammatis orthog. 5 10 20 30 40 50 Radius mensorius.

Typus orthographicus Castellorum in obsidio Grollæ.



Principis castra, quo loco surgebat in jugum humus, oportunum hosti si præcepisset, & castris grave: duo alia inter hanc & Ernesti sedem: ab his ad eum locum qui Wilhelmo Nassavio attributus fuerat tria, quadrata ferme, sed quatuor propugnaculis prominentia. Præter hæc plures minores receptus militi, sed qui & ipsi tormenta haberent imposita: suæ castellis & receptibus fossæ & in fossis pali. Hæc omnia qui inter se connecteret agger perpetuus prope in orbem ducebatur. Quæ dum adversus vim externam parantur, non cessabant interim gnari talium aperire solum, ut recto ad latera itinere & per artem sinuato, quo magis oppidanorum tela per obliquum evitarentur, tutius arreperetur oppido, una regione ex Ernesti castris, è Principis castris duabus, dextrorsum Anglis, sinistrorsum Gallis laborantibus, queis monstratores aderant Bosschius & Percevalius. Nec piger Dulquius distribuere custodias, attollere loricas queis propugnacula & succinctum institui velabantur, tuguriis tegulas detrahere ne telis concussæ tela & ipsæ fierent, globis glandibusque vulnera in hostem spargere, cuncta boni ducis obire munia dum valetudo tulit: quippe haud multo post ex tubo militari glande humerum trajectus afflicto corpore ita ut decumberet, convocatis centurionibus summam imperii Verreiquio tradidit, qui vicissim ipsum precatus est comiter, corporis refovendi primam ut curam duceret, si per eam liceret, ipse è cubiculo quæ facienda imperaret, se cuncta cum fide atque intrepide exsecuturum, haud vanus promisso. Is igitur modo multo die opera Anglorum, modo noctu Ernesti castra excursibus lacessebat, haud gravi in obsessores damno nisi quod quamvis egregios milites casus absumit, ut tunc Dromontium Scotorum vigiliis præfectum: sed in eam spem maxime ut obversis in pugnam oculis aliquis ex oppido nuntius ad Hispanicos duces perlaberetur. Quo minus crebro erumperet, avido talium militi

ſua paucitas obſtabat: & jam ademptis in longinquum excurſibus eques peditum officiis accedebat. Audiebatur interim Henricus Comes Herembergenſis (is Principis Naſſavii amita natus belli fato in partibus aliis boni ducis famam obtinebat) augere indies copias quæ ad Cæſariswartam, ut diximus, coire cœperant: quo magis ſollicitus Princeps lectos tribunorum ad nocturnas vigilias & properandas munitiones mittit: duas turmas Zutfaniam ablegat quarum præſidio exercitus alimenta Lochemum uſque aut Bercla âmni ad Borqueloum portarentur quo ipſis obvia major è caſtris manus procederet. Ipſe amnis ad eum uſum purgatus, reſciſſique pontes per quos è Veſalia & aliunde hoſtium globi prædæ inhiantes curſabant. Ne famem hoſtis facere poſſet, primum quod imbellis ætatis aut ſexus & quod præterea armis inutile juſſum exire caſtris: tribunis ac centurionibus imperatum providerent ut militum cuique in octo dies victus emeretur dum facilis copia. Inter Principis ac Comitis Erneſti caſtra ac propius etiam qua parte foſſorum opera ad oppidum procedebant erecta tribunalia è quorum faſtigio machinæ mænium ſumma quaterent. Iam caſtris interjecta caſtella quinque in juſtam molem excreverant & continuo aggeri adjugabantur: ac ne qua ſpeculæ deeſſent ultra quadratos receptus præducta aggeri & alia munimenta partim cunei, partim jugi jacentis in modum, quædam & fronte in forficem recedente quorum multus nunc uſus: cornuta vocant. Et qua parte æquiſſima planities inter Wilhelmi & Erneſti caſtra fundebatur, ab aggere pluſquam triginta pedum ſpatio nova præducebatur foſſa in octo pedes patens, in ſex declivis. Etiam quà facillima itinerum, repagula objecta & objices verſatiles: alibi ſudes præpilatæ: ipſisque caſtellorum foſſis alius objectus agger quali oppida præcingi ſolent: & quæcunque circùm loca infenſa eſſe caſtris poterant præſidiis machiniſque inſeſſa. Tanta erat cautio ne quà hoſtis gregatim perrumperet quem ſecundo Auguſti die Rhenum tranſiiſſe celeres nuntii afferebant. A foſſa oppidi devexus agger partim ſubrui, partim aperiri ab obſidentibus cœperat: nec obſeſſi eum defendêre, parum utilem ingruentibus tuborum hoſtilium telis & parciore ſuorum numero quam ut externa tueri vacuum foret. Satis viſum ſudibus præmunire portas & pontes abrumpere. At Princeps cuncta impetendo oppido aut arcendis hoſtibus ſtructa coram inviſere, laudare gnavos, corrigere errantes, nihil

extra

extra suam curam pati, immota inter tantos actus animi tranquillitate quam & vultus præferebat, mirantibus quotquot aspectarent. Slingæ aquis diximus impleri fossam oppidi: olim rectus oppidum perfluebat, sed quia torrentior interdum arradebat munitiones, Dulquius jam ante obsidium ad septentrionalia oppidi alveum illi duxerat, quo prælapsus mœnia infraque stagni in morem redundans septis duobus premeretur, quæ prout res exigeret aperiri possent, ut altero fossis aquarum quantum satis esset largiretur, altero, quod ab oppido longius, siquando nimius esset, efflueret. Hoc septum exterius Pudewelsius Principis prætoriam ducens rupit, & novo meatu à fossa oppidi depresso, aquam ad quinque ferme pedes subduxit novem restantibus quæ haud arduum implere. Intellecto Luppiam transgressum hostem, nec alio jam metu, Princeps Pinsium Aam Varicemque cum copiis ad se vocat, Lochemo quod in itinere erat custodiendo mittit cum centuriis quinque Didericum Biæum, filium Georgii Biæi ejus qui summam ærarii fœderatorum curam ab annis triginta & septem sanctitate & diligentia singulari administrabat, auctoritatem maximam non per artes & factiones sed solida virtute simulque rerum peritia consecutus: unde & ejus liberis apud Principem plurimus honos. Eidem oppido aucta quæ erant munimenta, adjecta nova lunata specie. Parte altera itineris vicus est Lichtefurtum, castrorum propinquitate facilis præsidio atque opere teneri si huc iter hostis vertisset. Repetita edicta de coemendo in octo dies commeatu & quæ suspectos atque inutiles castris arcerent. Dimissi in omnem partem qui cuncta hostium explorarent: attentæ excubiæ stantium, circumeuntium. Provisum fuerat ut in castris essent testus viginti coquendo pani, longi novem pedes, lati intus octo, alti supra pedem, qui universi unius diei noctisque spatio vicies octies mille & octingentas panis libras exhiberent. præterea in condito erant paulo minus quater centena millia librarum panis: farinæ supra ducentas triginta & quinque vehes quod maximum mensuræ genus: casei libræ quadragies octies mille: ingens copia, & quæ in multum temporis securum contra famem exercitum præstaret, etiamsi inter urbes unde commeatus adventabant, & castra medium se hostis interjiceret. Mutuæ interim cædes ac vulnera cum oppugnantes ex adverso fossæ margine, oppidani ex mænibus & quod maxime noxium ex succinctu tormentis intonarent. Sed

singulis diebus 28800 panis libræ excoctæ
400000 panis libræ in condito
235 farinæ vehes maximum mensuræ genus.
48000 casei libræ

præcipue infesti obsessis globi igniti: Punica mala militibus appellantur, eo quod simul cecidere rupti in multos quasi acinos sparguntur, facili ut quidque attigerint incendio. Horum majores libras pendebant centum sexaginta; minores sex & viginti. Ex majoribus centum sexaginta: minorum supra triginta in oppidum pervenere. Is metus obsessos adegit nitratum pulverem ne tactu conflagraret ex horreo publico subter basilicam transferre & trabes crassas imponere quæ fimo insuper atque humo integerentur. In homines pernities prostratis solo ut conspexerant corporibus vitata. Princeps hoc omne tempus quo hostis adventans exspectatur non dies tantum sed & noctes intentus egit, cuncta obambulans, nec castella tantum, sed & siquid intra aggerem editum machinis instruens quæ extrorsum verterentur, equestres quoque excubias ad omnes aditus locans. Ad Ernesto sita pervectus, solo humili atque uliginoso, videt imminentem castris celsiorem locum quem hosti utilem prævidens forficato opere muniri jubet, attolli quoque & solidari castrorum aggerem, & quia pro copiis laxius sumtum spatium fuerat alia introrsum duci munimenta, subsidio si prima cessissent. Ita cautum ne aut isthac perrumperet hostis ad obsessos aut præ globis desuper ingruentibus teneri locus nequiret. Pinsio Aæ & Varici qui jam advenerant seorsim suæ datæ sedes quà interjectus Wilhelmi & Ernesti castris agger planissima camporum prospectabat, facilem hosti viam & olim ipsi prosperam. Nec alià Herembergensis advênit transitoque vico Vreda ibi conquievit, spatium inter se atque hostis opera relinquens quantum sesquihora confici posset, auctus interim eundum Germanicarum cohortium supplementis ad mille octingentos, haud equite minus quam pedite Principis copias superans quanquam ex Palatinatu & Rheno adsitis adventare cohortes ac turmas falsa ipsi spes fuit. Turmas habebat septuaginta sexagenûm & amplius militum: centurias peditum centum quinquaginta octo nonagenarias ferme. Castella duo præcipuæ magnitudinis in eadem erant aggeris parte, alterum ad septentrionem, alterum quà magis in ortum flectitur. Illuc se Princeps cum quadraginta quinque peditum centuriis, parte equitatus, machinis sex, huc Ernestus vertêre: præterea intra ambitum locatæ alæ equitum iis intervallis ut facile inter ipsas auxilium esset; aliis locis disposita peditum quater millenorum agmina itura quo traxisset necessitas.

[Manuscript marginal notes:] globi igniti pendebant maiores 160 libras minores 30. — exercitus H. Vanden ... cohortes 1800. Turmae 70. militu ad minimu 60. — centuriae peditu 158.

necessitas. Geminatæ noctu in castellis & pro aggere qua maxime hostis timebatur excubiæ, & suspecto ne ille hic se ostentans alibi viam quæreret, pons apud Wintersvicum quo amnis transitur rumpi jussus. Ducis alacritatem miles secutus nunquam volentior duplicatos labores ac pericula pertulit: nec questus ulli auditi nisi si cui minora quam cæteris delegabantur. Tribuni quantum imperio tantum labore ante alios, vigilandæ noctes, sive urgenda fodientium diligentia erat, quos inter eminebat Brederodius incorruptam nobilitatem ad auctores sanguinis Hollandiæ Principes referens. At Herembergensis primum quidem adversus nocturnos impetus in limite illic reperto qui agros terminaret aggerem leviter excitans frontem sibi munit. Postridie clara luce propius in tumulum quendam cum turmis aliquot procedit, displosisque machinis adesse auxilium obsessis significat. Eo peracto recipit se. Videbat Princeps omnem spem obtinendi propositi in duobus esse positam, ne quid externo hosti pervium foret & ut contra oppidum opera quantum poterat celerarentur. Quare aggerem primùm, ad lævum latus castrorum Wilhelmi, necnon ad dextrum quà maximum discrimen, deinde & quæ se inter & Ernestum jacebant

Receptus annexo aggere qui castris interjacebat. Simulque agger qualis & receptibus & castellis pro obtentu fuit.




Diagramma orthographicum receptus obsidentium Grollam.





Diagramma orthographicum aggeris quo castra connectebantur.



jacebant attollit: addit plures receptus & ipsis receptibus obducit alia munimenta. Adversus oppidum ex Ernesti regione machinæ crebris ictibus loricam succinctus lacerabant quæ viginti quatuor in pedes patens siquid à fronte perdiderat indefesso obsessi militis labore retro reparabat. Procedebant & vineæ ita ut Gallis Anglisque pars tantum tertia fossæ implenda restaret, cum Verreiquius succinctum duabus armat machinis ruptisque operibus missili igne urit tigna & fasces queis validis ac densis latus utrumque obseptum. Oppugnantes refectis quæ ruerant adversus certiora ex succinctu tela aucto tandem suorum tormentorum numero superiores fuere. Non tamen sine damno id abiit desideratis Anglorum eximiis Ramo & Proudo, quorum hic Morgani tribuni absentis locum implebat, ille excubiis præerat. Interim & Herembergensis consilia partim res ipsa, partim interceptæ literæ, partim captivi, qui plurimi quotidie ob laxatam penuria stipendii disciplinam, aperuere. Videbat nec eum sibi hostem qui prælii metu loco cederet, & firmiora opera quam ut vi mera oppugnarentur. Agitaverat ex Marchionis Spinolæ consilio medium se locare inter Zutfaniam & hostem avertendis commeatibus: sed ipsi quantum cibi satis ad alendum exercitum datum non erat, nec propius quam à Vesalia idque magnis præsidiis haberi poterat. currus quoque ipsi deerant: & cum validam manum è castris Nassavianis Zutfaniam ivisse intellexisset alimenta reducturam, spe capta posse eam in reditu concidi, ac sic animum ipsis minui, addi obsessis, quominus tentare fortunam posset impeditus fuit pravo certamine Italorum atque Hispanorum, quorum illi, quod ad se more militari ordo ducendi agminis rediisset, Hispani dominatus jure, primas sibi quisque partes poscebant, nec aut rationibus aut precibus perduci potuerant ut omitterent intempestivum dissidium, eo provectis animis ut Campolaterrius Italicæ tribunus missionem flagitaret. Quod postremum erat ut alibi vi ostentata aliâ interim per minùs custodita subsidium oppido penetraret tentatum, sed successus abfuit. Nam & qui novum illud munimentum quod Ernesti castris obtentum diximus per noctem in dextrum cornu impetierant, palisque evulsis aut abscisis jam hastis rem agere cæperant non minus fortiter quam insilierant repulsi, Scotorum maxime virtute, quos inter Morræi insignis ea die opera fuit nec Principi inhonorata: & qui interim nudam

partem

partem aliquam inter duo maxima castella reperturos se speraverant, cuncta operibus, excubiis, machinis obsepta invenêre. Princeps audito periculo Ernesti castrorum, ipse eo cum milite ad omnem motum parato & sex machinis occurrit, sua interim Wytsio commendans qui excubiis præfectus munus difficile strenuo non minus quam pervigili animo implebat. Egressus iisdem castris Horatius Verius spectatissima virtute, & plurimis stipendiis Anglorum ductor ignium indicio monitus imminere periculum qua parte Pinsius Aa curabat, eo se verterat. Vtrumque discrimen dies ortus discussit. Decimo septimo Augusti die, ab Anglorum Gallorumque parte, quibus insita inter se æmulatio officii incitamentum erat, quicquid fossæ restabat impleto, cuniculi subter succinctum fodi cœpere: & columba inter volandum ab aucupe milite dejecta, quæ Herembergensis literas ad obsessos ferebat, rogans aliquem mitterent significaturum quæ ipsis opus essent, qua regione transmitti auxilium posset, & si id minus succederet, saltem igne nocturno, fumo per diem intermisso ac repetito indicarent quot in dies durare vim obsidentium possent. se adhuc aliquid virium exspectare quo adepto omnia tentaturum ne ipsos deserat. Columbam hanc & cum hac alteram miles ex oppido per tenebras forte vigilum diligentiam elapsus ad Herembergensem tulerat, eodem unde venerat haud dubie remeaturam quando pullitiem illic habebat. Et hæc quidem ars caruerat eventu. at miles quidam ab Herembergensi furtim in oppidum pervênit, spem auxilii adferens, qua usus Verreiquius impulit suos nequid intentatum relinquerent. Ne cuniculos hostium contrariis suffossionibus corrumperet, deerant ei talium artifices: ignitis quæ manu jacerentur missilibus non parum nocuit. at qui noctu degressi succinctu ut fossores hostium caperent aut opera disturbarent, tam quà Angli quam quà Galli curabant, visi repulsique. Bis quoque per tenebras ponte qui interdiu rumpebatur trecentis comitantibus exiit Verreiquius obviam auxilio si forte adventaret. quo frustra exspectato in latebrosa itinera quibus ad oppidum Ernesti miles accedebat impetum fecit ut non improsperum ita ad summam rei inutilem. Erat inter tribunos Altirivius Castellinovani filius ejus qui rarum aulis, ad ætatem ultimam inoffensis honoribus perductis hoc ipso in consilio regis Galliæ eminebat. Is tum Gallis dux erat, quia Castellionæum, cui in ejus gentis mili-

tem summa imperii, Marescalli dignitate Gallia attinebat. Per hunc Princeps antequam ad vim veniretur tentari obsessorum animos jubet: quippe irritam ab Herembergensi spem qui castra nequicquam oppugnasset: at ipsis impleta quæ fides ac virtus suadebant: nunc paratam pernitiem ni pacta mallent. Dulquius ad se relato, respondit fortiter & tanquam longe periculum. Quare medio jam die (is erat decimus octavus Augusti) incensus cuniculus quem Angli fecerant partem succinctus disjecit: nec tamen quæ patuerunt obsessores tenuere, partim missilibus, partim pugnando rei dejecti: accedente incommodo quod supra vineas transitus nondum satis erat complanatus. In eo certamine glande ictus finem vitæ implevit Wilhelmus Lovelacius magnus animi nec minore peritia inter Anglorum ductores. Nec movit periculum Principem quominus ipse dum pugnatur jubendis quæ opus assisteret in viis intestinis quæ ad fossam oppidi ferebant. Hinc digredienti ad Gallorum opera fidus comes Wilhelmus Nassavius glande ex mœnibus jacta tempus transigitur, mortifero vulnere, adolescens à quo exspectari maxima potuerant si Martios animi impetus ætas veniens judicio percoxisset. Inter obsessos dum cuncta properantur per incuriam militis in duo pulveris nitrati dolia illapsus ignis vi illa qua nihil non concutit adstantium quadraginta abstulit aut ambussit. Neque multo post iterum interpellante Aurivio expendit cum suorum consilio Dulquius ventum subter mœnia, sibi haud nimium telorum, nec satis militis ad sustinenda prælia quæ tribus ex partibus imminebant: frustraque orato ut ad Herembergensem mittere liceret, per inducias breves & mutuos obsides venit ad pacta Bredanis haud absccedentia, quæ Principi ac Dulquio signata postridie, impleta die tertio. Non aliæ noctes intensioribus per castra vigiliis actæ: eques in armis & pars magna peditum ne qua fraus subesset: etiam speculatores in omnem partem emissi. Oppidum habitantibus concessæ leges ac jura vetera, & ne qui exiret, quique ingrederetur miles noxæ cuiquam damnove esset: integrum ipsis à Rege Hispaniæ jus per agros commeandi impetrare de cætero sub imperio Federatorum agentibus: migrare volentibus res suas sine onere intra anni tempus permissum educere. Antistiti intra duos menses cum rebus liber exitus. Antistes is erat Philippus Rovenius, titulo quidem Philippensium se archiepiscopum ferens,

reipsa

reipsa Pontificis Romani jussu sacrorum inspector per Batavos quæque ejusdem federis & siqua eorumdem locorum sub Hispanica imperia redierant. Hanc ille dignitatem ortu modicus Daventria ex oppido sed studiis clarus amicitiæ Iansonii debebat qui Lovanii sacras professus literas nec moribus dispar egit. Ejusdem hic institutione animatus adversus novas societates Episcoporum obsequia exuentes jus suum retinere certavit. Cæteris Sacerdotibus & vitæ monasticæ destinatis sacratisque virginibus data optio intra oppidum manendi aut alibi larem figendi in pacato solo, incolumi fructu bonorum quæ talibus functionibus attributa: ac ne cui intra hunc diem sacra peregisse fraudi foret. Præsidium ita ut convenerat exiit cum equis, armis, signis, machinis duabus & quæ ad earum usum opus. captivi utrinque permutati nullo pretio nisi ejus quod alendis impensum fuerat. Quæ Regis Hispaniæ fuerant in belli usus aut victum condita, tradita his quibus id negotium Princeps dederat, retinente Dulquio quæ horum ipse ære suo paraverat. Præsidium exituris à Principe & ducenti currus ferendis sarcinis, etiam siquid prædæ manente præsidio aut ante pepererant, donec ad Herembergensis castra pervenissent: ægris haud negatum manere in oppido donec perducta ad sanitatem vulnera & morbi. Etiam regis Hispaniæ actoribus cautum sua privata ut salva haberent & duos menses ad transigenda per agros negotia. Fides cunctis impleta & spectare ipse Princeps voluit per sua munimenta transeuntes. centum ferme expleta mortalitate desiderabantur: saucii aliquanto plures. Neque Herembergensis ultra diem sequentem distulit amoliri exercitum nihil ultra sperantem. Principi Henrico ingresso oppidum bis improsperi illic fratris ausus gloriam addidere. Notabant militarium gnari nunquam antehac fodiendo captum oppidum cui succinctus esset incredibile quanta aggeri tutela: neque exemplum esse apud nos superatæ urbis nisi cui aut juxta amnis qui tuto alimenta ferret obsidentibus aut longe hostis qui impediret. Rerum externarum gnari mirabantur angustis finibus rempublicam & suis sociorumque conatibus prope exhaustam id habuisse virium, dum reges quique alii suam quoque rem in ipsius salute verti sæpe testati fuerant, Austriacæ domus stupendæ felicitati aut succumbunt, aut ejus spectatores sedent, partim inter se discordes, quin & in arma effusi alienum negotium suo

 sumtu

ſumtu gerunt. Neque tamen avidus fruendæ gloriæ Princeps aulam & conventus properus repetiit: ſed inhæſit loco per dies ferme triginta cavens quæ ſuſpecta, ſua in melius augens. Prima die Dominica templum jure victoriæ Proteſtantium cætui datum, cui Princeps interfuit. Oppidi cuſtodiam initio prætoriani habuere: mox in eorum locum tres centuriæ ſubmiſſæ & Stirumbio regimen datum. Nequid ad Rheni ripam hoſtis moliretur juſſus eo Pinſius Aa rapere ſeptemdecim centurias. Impletis itineribus quæ cavata in oppidum tulerant, demptiſque vineis, agger qui Grollam tuebatur, qua globi labefecerant, reparatus. at is qui inter caſtra caſtellaque, ſolo æquatus & ſiquid munitionum ultra. vigiliarum quoque mitigatus paulatim labor: cum ecce tota turma ſeptuaginta equitum, quos tubi majores armabant ſub Roberto Ecrio ab Hiſpanis partibus ad Principem tranſit. Partem ſe alæ Cratſianæ ferebant, & Imperatori conſcriptos, nullo adhuc dicto ſacramento precibus Herembergenſis annuiſſe ut expeditioni ſocios ſe adderent: ſed cum exſpectato ut ſtipendium acciperent, aſſcriberenturque numeris neutrum obtinuiſſent, antequam inopia difflueret corpus, quæſiviſſe locum operæ ac mercedis. Proxima cura purgare foſſas, cuncta bello aut victui neceſſaria Grollam, Brefurtum quoque (id in proximo oppidum eſt juris Federatorum) inferri curare. Inter hæc Dudlejus Carletonius regis Britannorum legatus venit ad Principem gratulationis officio functurus: exceptuſque multo honore ut ſocii regis mandata perferens. ſed Gallorum potiſſimi animos atque ora averterant, infenſi quod Retam inſulam Dux Bucquingamus Anglorum claſſe & exercitu inſediſſet ſuſcepta Rupellanorum pridem regi Galliæ male parentium cauſa. alii, etiam inter Gallos, religionis ſtudio excuſare talia ſoliti, rerum aſpera interpretando leniebant. Feſtinaverat Princeps ante Carletonii adventum centuriatum agere quo precibus gratiæque exemtus liberiore arbitrio petentium merita penſaret. Groningæ præmetuens Princeps præſidium ejus urbis auxit: & partem equitum miſit ad ſpeculanda hoſtium caſtra qui haud longe Lochemum & Zutfaniam inter ſederant. Fecit tantundem Herembergenſis atque etiam inſidias occultavit quà venturus eques Naſſavianus ſperabatur: fruſtra omnia, tam æquali ducum cura ut neutri in alterum pateret occaſio. Machinæ è caſtris Grollam importatæ, additæ præſidio


quatuor

quatuor centuriæ & turmæ insuper duæ. quot erant aggeris propugnacula totidem intra ipsam oppidi fossam positæ munitiones, prætentæque illis spatiis quæ à propugnaculis vacabant, æquis primum lateribus, deinde paulatim in cuneum coeuntes. Lingam ne iretur partim anni tempestas obstabat, procedente autumno, partim Herembergensis provisus qui acceptam jam alimentorum copiam & quæ tuendis oppidis solita, militem quoque firmo cum præsidio ne interciperentur ire illuc imperaverat. Iam post operum cætera castellis quoque & castris dirutis & præmissis navigiis quæ ægros, quæ sarcinas ferrent, Zutfaniam pedestri itinere perductum exercitum Princeps non tamen in longinqua dividit, sed per præsidia quæ Rheno aut Isalæ adsita. Nam Herembergensis retinens copias apud Rasveltum morabatur qua se parte incipit ostendere Isala, tenuis diu donec inferius paulo increscit vetusto Drusi opere acceptis è Rheno aquis. Octobri mense Zutfania digressus Princeps Arnhemum Velaviæ caput, unde Geldriæ regimen, inde Hagam Hollandiæ & communis Federatorum imperii sedem, curam transfert ad ea quæ tum hosti ad Scaldim parabantur. Is amnis apud Veromanduos ortus Cameracum transit, factusque apud Valentinianas navium patiens Scarpa admixto auctior flexo magis in septentrionem cursu Tornacum Aldenardamque Flandriæ urbes adit, inde Gandavi multis simul receptis aquis, præcipuis Lisia Liviaque in ortum se vertens Teneræmundæ ac Rupelmundæ sua dat nomina inde quod Tenera Rupelaque amnes iis in locis majori se infundunt. Tot auxiliis inclitus Antverpiam ditissimam quondam urbem & nunc quoque veteris fortunæ vestigia retinentem dexter allabitur: neque longe duobus Batavorum castellis quasi claustris premitur, quorum quod in Brabantica ripa Lilloo habet nomen, portu quondam adibatur quo nunc oblimato habetur firmius, alteri in Flandriæ ora Lifquenshouco vocabulum est. Huc usque continuus est Scaldis, qui mox inter Santflitam Brabantiæ, Saftingum Flandriæ vicos scindi incipit, unoque alveo nomen retinens, & in conspectu Bergarum ad Zomam septem horarum itinere ab Antverpia, accepto Zoma qui oppido illi nomen dedit, provectus inde longius, Zelandiam dividit in eam quæ ad occidentem Scaldis dicitur in qua Walachria insula Middelburgo, Flissinga, Veria oppidis nota & Bevelandia septentrionalis australisque, & eam quæ ad orien-

nxerat, initio à Flissinga, cui alia sponte accessere, Middel
m fame coactum. Gens mari valida magnisque præliis co
ta ut non alias magis Hispani timerent, donec sub Reques
irixæa in regis potestatem redacta res arctas fecerat, ni Hisp

per seditionem intoleranda captantes, Belgicogermaniæ toti necessitatem imposuissent jungendi arma, sibi expulsis undique vix Belgarum extima ad receptum reliqua fecissent. Ex eo Zelandiæ firma atque hosti intentata possessio, auctæque vires ex quo Antverpia Parmensi capta cum libertate maris usum & mercandi commoda amisit. Sed ingressu novi sæculi Augustinus Spinola adductis ab Italia longis navibus damna & formidinem intulerat, donec oppositæ ejusdem generis antehac Oceano incognitæ naves, sæpe & bellicæ veteres ventis subito augescentibus adjutæ parum tutas agitato mari alias evertêre. Mox cum oppido Clusa captum quicquid earum navium restabat: adjectoque Isendico proxima illa Flandriæ ora Zelandis pro munimento objecta, nullo super metu nisi siquid ex Hulstano agro, cui non portus, non naves, leve admodum audebatur. Post id transfugæ spem fecerant, invadi posse Bevelandiam australem & aperto ad Irsicam aquarum septo & perfossis quæ obstabant, oppidum Goesam atque ei proxima mergi, partem vero insulæ Hontæ adsitam etiam retineri, defensam quippe suis aggeribus, qui olim in pace structi ad coercendam eluviem nunc pro belli munimento erant valituri. Anni effluxerant dum exspectatur tempus idoneum quo exhausta præsidio Goesa nudam insulam præberet: quod evênit, dum Principem & exercitum muniendæ Grollæ cura retinet, & audita pridem per exploratores hostium consilia sui vetustate in oblivionem venerant. Ergo Antverpiæ contracta vis scapharum & quæ alia navigia plano alveo facile vadis insidunt, pars adacta per æstuarium quod retro Lilloum multis uliginosi soli fruticibus obumbratur, pars curribus eodem pervecta, quinquaginta omnes, bis mille instructæ militibus per mersa terrarum inter Scaldim Hontamque Bevelandiæ australi accedunt, captato tempore quo maxime vacuus ager, ad solennem Goesæ mercatum profectis inhabitantium plerisque. Sed mare sperato citius recedens inter eos qui advenerant & Bevelandiæ australis aggerem medium fecerat spatium quod gravi cæno tenax nec scaphis nec pedibus transiri facile: Attamen egressi scaphis gradum inferebant, cum militum pauci emissi oppido humenti extra aggerem solo semet ostentantes, & in ipso aggere vexilla quibus ad publicas voluptates indigenæ uti solent, pro signis militaribus collocata, falsa imagine verum metum fecere. Interim conciti plures festinabant,

bant, nullo religionis diſcrimine, cum Romanenſibus plena ſit regio, communi cunctis ſua defendere. Queis illi viſis, cum ſe ſcaphis reddidiſſent, apud Rillandiam unam ex minoribus inſulis exſpectant æſtus qui hærentes levaret reditum, & proprio Scaldis alveo ſubvecti inſulam advenere modicam & tantum pecori nec multo paſcendo utilem, proxime ſub eum locum in quo Scaldis Hontæque divortium eſſe diximus. Hogewervæ huic inſulæ nomen eſt, cujus parte dextera quod fluit Scaldis Aggeram, altera Cromflitam vocant. Hic quarto Augusti die caſtellum excitavere, mox & propius Aggeram receptum quo trajectus muniretur, initia premendi undique Lilloi. Navis Zelandorum quæ unica illic præſidio erat in tranſvectos haud multum noxæ dederat dum proni procumbunt: ſcaphas tantum rapuerat quatuor, hominum inanes, refertas ferramentis. Plures naves è Zelandia ſubmiſſas machinæ è Brabantica ripa atque inſula retro egere. Sed quæ pro Berga ad Zomam excubare juſſæ facile locum tenuerunt. Simul Santflitæ caſtellum magna mole ac ſpecie (propugnacula ei ſeptem deſtinabantur) aggeri veteri qui firma terrarum ab alluvionibus dividit adſitum, aliaque in itinere Antverpiam, partim in quæ diximus conſilia, partim continendis militum excurſibus è Bergis ad Zomam & parandis quæ utilia ſiquando ejus oppidi obſidium placeret: quo fine & foſſa duci cœpit à caſtello Crucis quod non longe Antverpia eſt, Stabroucum ac porro Santflitam verſus qua commeatus tuto ac levi impenſa tranſirent. Sed hos conatus & fortuita & hoſtium molitiones haud parum turbavere. Nam primùm Octobris ſecundo die in Santflitiana munitione improviſus ignis tuguria & quicquid flammam alere natum inerat abſumſit. Infra Lilloum æſtuaria complura ex Scaldi introrſum fuſa alluviones varie interrumpunt. proximum ex his Blaugarium dicitur, unde agger novus ad Lilloum pertingit. In eo aggere & inter æſtuaria Batavi cuncta munimentis implent, quo & hoſtem arcerent & amni latius incumberent. Quod imitatus hoſtis & ipſe in ultima ora quæ Santflitæ objacet, ubi æſtuarium Stofa nomine caſtellum locat: ſed & huic & cæteris Hiſpanorum operibus, ipſi etiam aggeri veteri qua Stabroucum fert multum nocuere fluctus, præcipiti jam anno violentiores. Ac Princeps cuncta quæ ibi gerebantur edoctus inſulam quæ maxima inter Stofam ac Blaugariam æſtuariis circumfuſa



Moras
Kreeck
Rovers Fort
Vijands
Wegh
Halteren
Virgæ
Out Slot
EX
Fort
Schans
Redout
Schorr
Doorsn
Verdron
Polder

Bergen op Zoom

Dist. inter Bredam 9479 Virge

Dist. inter Antverp. 8176 Virge

Dist. inter Tolam 2585 Virge

Burchvliet

Wegh

Fort Moermont

Doorsnijdinghe

Moras

Fort Pinsen

Quart. ofte Leger onder 't Command. vande H. Col. Pinsen

Noortgeest

Coningsbergh

Kyck in de pot

Kolck

Schorre met hooch water noch droogh leggende

Nieuwe Haven

Oude Haven

Zuyd Schans

Noort Schans

Verdroncke landt




EXPLICATIO VERBORUM

Fort, Schans — Castellum.	Haven. Portus.
Redoute. Receptus.	Wegh. Via.
Schorre. Alluviones.	Moras. Palus.
	Kreecke. Alveus.

Doorsnijdinge. Fossa cum lorica inter paludes.

Verdroncke landt. Terra inundata.

Polder. Alluviones siccatæ.



cumfuſa amni imminet juſto caſtello cui propugnacula quatuor & intra foſſam munitiones duæ occupari & propius recepto flumine contrahi ejus ſpatium ac militari aggere ambiri jubet. Imperio ſucceſſus adfuit, quanquam qui Santflitam magnis cum copiis tenebant & tormentorum jactu & præliis operi intentos incurſabant. Interim de impediendo Bergarum ad Zomam obſidio, ſi forte hoſtis moliretur, acriter conſultatum. Nec quicquam melius ſuccurrit quam tres paludes quæ Stenbergam aliud ad ſeptentriones Brabantiæ oppidum Federatorum juris interjacent, foſſa conjungere: & terna, qua maxime ſuſpecti aditus ponere caſtella: ſeptum præterea immunire, quod ſub mœnia Stenbergæ ſitum exteriora agri ex Flita (id nomen ad Stenbergam alveo eſt) immiſſis aquis ſtagni in ſpeciem verteret. Nam quæ auſtro obverſa oppidi & portus Scaldim uſque egregia extra vallum munimenta, inde caſtellum ſatis defendunt. Illi operi inchoando, quando nullum hyeme periculum, inſequens annus exſpectabatur.

FINIS.

Tabulæ ponantur hoc modo.


PRÆSTAT


UNIV.
OF
MICH.

